



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

23. Bellum inter Electorem Brandenburgicum & Ducem Neoburgicum.
Componitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

Stationis Adolescentem, qui peregrinas hodie provincias peragrans aliquando muniis se reddit aptiorem. Secundo genitus *Matthias Fridericus*, quâ complures annos Præpositus S. Mauritij, pari nunc laude Major Basilicæ Paulinæ Decanus audit. In hoc ipse candelabro quam virtutum omnium splendore semper eluxerit, communis vox ac fama testis est, & unicum id sufficit adiecisse, quod post obitum nuper Episcoporum *Ferdinandi ac Maximiliani Henrici* vacans Cathedra Monasteriensis suum alterâ vice suspexerit Candidatum. Tertius *Hermannus* Canonicum Monasteriensem & Paderbornensem agit, singularium gratiarum vir, quem uti *Maximilianus Henricus* ob egregias doctes ad Secretioris Concilij Senatam in Monasteriensi Principatu adlegit, ita & Successor *Fridericus Christianus* Satrapia Wernensi, & Collegium Cathedrale Dominio Ludinghusano præfecere. Plura loqui cum vetet superstium verecundia, prosequi nunc historiam prælubebit.

Per ætatem anni hujus quinquagesimi 23. primi improvisum apud vicinos bellum *Bellum* nascebatur. Causam præbebat famosa Ju-
inter
liacensis successio, tot annos continuus *Brandē-*
dissensionum fomes. Dum *Fridericus burgicū*
Guilielmus Brandenburgicus Elector post *Electo-*
occupatam Angermundam arcem, lacinias rem &

1651. Neoburgicū Ducem. Montium cum exercitu infestat, *Philippus Guilielmus Wolfgangi Guilielmi Ducis Neoburgici Filius*, cum suis & *Caroli Lotharingi* copiis, in suppetias ocyus è Belgio accitis *Marcam* aggreditur: atque ita gliscentibus utrinq; armis latius quotidie serpens malum, timebatur nec ex vano, viciniam brevi correpturum. Ut autem in cinere flammam sopiret *Ferdinandus* Imperator, missis actutum *Melchiori Comiti Hatsfeldio* Cæsareni nuper exercitus Ducis, & *Joanni Anethano* Cancellario *Trevirensi* dissidentes componendi potestatem facit. Et horum etiam sollicitudine non multò post, controversiâ, quæ inter utrumque Belligerantem intercedebat, ad *Christophori Bernardi* ceu *Episcopi Monasteriensis*, & vicinorum quorundam Principum determinationem, pari Cæsaris imperio remissâ, certisque aliis conditionibus pax redintegratur, non minore subditorum desiderio, quam *Westphaliæ* totius bono.

24. Deliguntur Commissarij Apostolici. Sed jam antè Collegium Cathedralè exoraverat *Fabium Chisium*, quoniam *Malingerotius* electionem impugnaturus, atrocibus *Electi* famam convitiis læserat, aliquos nominaret dignitate præcellentes, quorum fidei ac prudentiæ pro suâ *Nuncij* potestate examen causæ committeret & maledicti probationem. Delegati igitur, magni nominis viri, partes in jus vocant, audiunt,